

ab numero avium, quae augurio regnum portenderant, eum secutum numerum putant. Me haud poenitet eorum sententiae esse, quibus et apparitores et hoc genus ab Etruscis finitimi, unde sella curulis, unde toga praetexta sumpta est, numerum quoque ipsum ductum placet: et ita habuisse Etruscos, quod, ex duodecim populis communiter creato rege, singulos singuli populi lictores dederint. Crescebat interim urbs, munitionibus alia atque alia appetendo loca, quum in spem magis futurae multitudinis, quam ad id, quod tum hominum erat, munirent. Deinde, ne vana urbis magnitudo esset, allicienda multitudinis causa, vetere consilio condentium urbes, qui, obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem, natam e terra sibi prolem ementiebantur; locum, qui nunc septus densis sentibus inter duos lucos est, asylum aperit. Eo ex finitimi populis turba omnis sine discriminé, liber an seruos esset, avida novarum rerum perfugit: idque primum ad coeptam magnitudinem roboris fuit. Quum jam virium haud poeniteret, consilium deinde viribus parat. Centum creat senatores: sive quia is numerus satis erat; sive quia soli centum erant, qui creari Patres possent. Patres certe ab honore, patriciique progenies eorum appellati.

CAPUT XVII.

Inclita justitia religioque ea tempestate Numae Pomplii erat. Curibus Sabinis habitabat consultissimus vir, ut in illa quisquam aetate esse poterat, omnis divini atque humani juris. Auctorem doctrinae ejus, quia non exstat aliis, falso Samium Pythagoram edunt: quem, Servio Tullio regnante Romae, centum amplius post annos, in ultima Italiae ora, circa Metapontum Heracleamque et Crotona, juvenum aemulantium studia coetus habuisse constat. Ex quibus locis, etsi ejusdem aetatis fuisset, quae fama in Sabinos, aut